



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consensus Veteris Et Moderni Papatus**

**Reck, Johann von der**

**Monasterii Westphaliæ, 1722**

I. Ad conservandam Unitatem in fide, visibili in Ecclesia capite opus esse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

\* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*

## I.

Ad conservandam Unitatem  
 in fide, visibili in Ecclesia capite  
 opus esse.

**S** Cyprianus lib. 1. epist. 3. Neque enim aliunde obortæ sunt hæreses, aut nata sunt schismata; quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Dei cogitatur.

S. Hieronymus adversus Lucif. Ecclesiæ salus, in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.

Item lib. 1. contra Jovin. c. 14. inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, Schismatis tolleretur occasio.

S. Ignatius Martyr Epist. ad Philadelph. Principes subjecti estote Cæsari, mili-

mili-

militēs Principibus, Diaconi Presbyteris, ut Sacrorum administratoribus: Presbyteri verò & Diaconi, atque omnis clerus simul cum omni populo, & militibus atque Principibus, sed & Cæsare, obediant Episcopo: Episcopus verò Christo, sicut Patri Christus; & ita unitas per omnia servatur.

II.

Sanctum Petrum Apostolorum,  
& universæ Ecclesiæ caput constitutum esse.

*S. Cyprianus libro de simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ.* Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.

*S. Gregorius Magnus l. 4. Epist. 23. ad Maur.* Cunctis ergo Evangelium scientibus liquet; quòd voce Dominicâ Sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est.

*Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. c. 12.* Intuitus autem eum Jesus (*videlicet*